



Q. K.



L. D. B. V.

II f  
1165

ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΙΑΝ  
RECTORE

ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
AVGVSTISSIMI POLONIARVM RE-  
GIS FILIO, ET ELECTOR. SAXONICI  
HEREDE, &c. &c.

PRAESIDE

*Praeclarissimo Viro,*

DN. M. GODOFREDO VICTO-  
RE MOEHRINGIO,  
Served. Anhalt.

Publicae disquisitioni submittet

RESPONDENS AUTOR,

JOH. GODOFREDVS BRESLERS,  
Lubena Lusat.

Ad diem XV. Aug.

ANNO M DCCIII.

IN AUDITORIO MINORI.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



WITTENBERGAE,

Literis SCHULZIANIS, Acad. Typogr.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

5. 18.



META LOPPELIA  
RECTORE

ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
DR. FRIDERICO AVGVSTO  
AVGVSTISSIMO POLONIAE RE  
GIS PRINCE ET ELECTOR SACHONIAE  
HERED. &c &c

PRÆSIDE

DR. M. GODOFREDO VICTO  
RE MOEFFRINGIO  
Scyoff Adhast

JOH. GODOFREDVS BRESLAVS

Publ. Adhast


Ad diem 7. Aug.

ANNO M. DCCLII

In Auditorio Minor.

WITTEBAROE

piens SCHULIA NIS Acad Typog





## Προοίμιον.

**F**fero Tibi, B. L. praesens de *Magnificentia* schediasma:  
Ast, quod si censoria placuerit idem perstringere vir-  
gula, parum magnifice elaboratum profiteberis. Nec  
miror, quorsum enim tanta *Philosophia moralis* in me  
redundet cognitio, digna *magnificentia* themate sistendi orbi lite-  
ratisimo, cum ipse fateri cogar, me nondum *Ethicae* sacraria &  
abdita penetrasse; est inde, quamobrem volventi revolventiq;  
Iscripta, omnia simplici stilo exarata occurrunt. Hic etenim pri-  
mus foetus, ne dicam abortus, qui per orbem eruditum suam it  
exploraturus fortunam, benigniori quod si excipietur hospitio,  
meliores, annuente Deo, sequi poterunt. Rem interim mihi cum  
susceperim magni, imo, pro sterili ingenio maximi momenti, lub-  
eunda fortunae alea, experiendusq; Lectoris favor; unicum id  
obsecrans, ni ad palatum sint lineae, aut tua opera, aut benevo-  
lencia emendentur; ita demum in perfectum mutabitur embryo  
hominem. At accingam me ad institutum, ne temese, cujus gra-  
tia praefamen praemittendum duxi, omittatur: Delineanda *me-  
thodus*, qua dissertationem pertractare animum induxi. A *capite*  
ipsum *speciminis definitionem μεγαλοπρεπειας* videbis, e *Philosopho*  
desumptam, Logiceq; examinatum; qualem studio retinui, quod  
*κειτήρια* proponat singula. Hanc *aphorismi quidam* insequentur  
necessarii, rei naturam de novo explicantes. Superest illud adhuc,  
ut Benignissimum castis imploremus precibus Numen, quo feli-  
cissimo progressu conatus nostros secundet.

## Definitio.

Μεγαλοπρέπεια ἔστι μεσότης περὶ χρήματα μεγάλα  
καὶ περὶ τὰς ἐν χρήμασι πράξεις δαπανηράς.

Aristot. Eth. 4. cap. 3. (2)

A 2

ΕΞΗ.

## Εξήγησις.

§. 1. Quemadmodum juxta monitum Disertissimi Romanorum Consulis Tullii, *omnis, quæ de re aliqua suscipitur disputatio, a definitione proficisci debet, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur; lib. 1. Offic. cap. 1.* Ita nihil, arbitror, me præter rem, prudentiam & consuetudinem acturum, quando & hic loci rei prolixius pertractandæ apposuerim delineationem. Placuit namq; ex præscripto Ciceroniano ante definire, *quid sit magnificentia*; quæ vid quid contra receptam institutionem ex abundantia eruditionis proferant alii: Quis enim materiem cognoscet, ni prius definiat? Quis requisita enarrabit, nisi eadem in compendio quasi definitio exhibeat? Quis accurate disputabit, nisi habeat normam? Primum igitur in rei naturam inquirendum, quam ipsa definitio subministrat: Deinde id persequendum & evolvendum, quod exquisita definitio completitur.

§. 2. In *Etymologia* tradenda erimus ob evidentiam breviores: Descendit proinde *μεγαλοπρέπεια* à voce *μέγας* & *πρέπον*: *Magnificentia* sortitur nomen a *magnis sumptibus faciendis*, a *magnitudine* & *decoro*, *magnifico* apprimè observandis: Vocaturq; hoc pacto vel a *subjecto occupationis*, quod *magni sumtus*, vel a *subjecto inhesionis*, quod non nisi *magnificus magnis opibus refertus* esse debeat, vel a *sine cuius*, qui splendidus semper atq; honorificus *magnifico*, *Reipublicæ* nempe, *Ecclesiæ*, *statusve civilis*, in quem & *magni* & *magnifici* impenduntur *sumtus*, *felicitas florentissima*.

§. 3. *Homonymiam* quod attinet, nemini non obvium, tam *abstracti*, quam *concreti* vocem promiscue adhiberi: Sumitur enim (α) in sensu eminentiori, quo nomine *Deum κατ' ἐξοχήν* notant. Unde Hieropsaltes: *Elevata est magnificentia tua super caelos*, Ps. 82, 10. Item: *Magnificentia & virtus ejus in nubibus*. (β) *παχυλῶς*, quando ei assignatur, qui *magnifica*, imò ut dicitur, *sesquipedalia verba fundit*, *decorum tarde ac graviter incedendo observat*, & totum vitæ genus splendide ac laute ducit. (γ) Nota *Terentiana* loqvendi ratio: *Magnifice aliquem tractare*, quod idem denotat, ac *lautum aptare convivium*. (δ) *Specialius*, pro *dignitatis*, *honoris* ac *eminentiæ* quodam *charactere*, quæ tamen vocabuli acceptio *Politica* potius; tribuiturq; *magnifici* titulus iis, qui eminenti, ac sublimi honoris gradu collocati  
salu-

salutantur, Magistratui, Consulibus sc. optimarum & imperialium civitatum, Comitibus, Baronibus, Nobilibus auctoritate singulari conspicuis, Rectoribus Academicis &c. (ε) Specialissime & in sensu Etbico, quo virtutis habitus definitione nostra expressus indigitatur, quo τὸ πρέπον magnificus καὶ τὴν μεσότητα περὶ χεῖματα μεγάλα circumspēte attendit.

§. 4. *Synonymiam*, eamq; *Grammaticam* quantum concernit, adducere facili negotio per plurima vocabula ἰσοδυναμῶντα valerem; sufficiant pauca, instituto interservientia. Hebraei expriment per  $\text{רָדָה}$  &  $\text{תָּרָדָה}$  conf. *Jos.* 7. 21. Quae vocabula emphatice *magnificentiam* important: Graeci μεγαλοπρέπειαν, quo τὸ formale, medium nempe servandum aperte innuitur, per μεγαλειον, μεγαλειότητα, μεγαλοπραγμοσύνην, μεγαλωσύνην: Latini *magnificentiam* reddunt, licet non adeo accurate, per *magnanimitatem*, *decoram*, *largitionem* & *magnidecentiam*, hanc imprimis ob causam, quod magnos viros deceat. Germani, nomine dum proprio non gaudent, quo digne habitum virtutis declarent, hisce passim utuntur verbis: Herrligkeit, Pracht/grosse Güthigkeit.

§. 5. Ne autem nominis evolutioni justo diutius inherentes, datam neglexisse videar *descriptionem*, recto pede ad eam me confero delibandam. Neque enim legentis animus contentus vivit enucleatione *definiti*, ipsam potius & *generis*, & *differentia*, & *objecti*, reliquorumq; ad *essentiales conceptus* pertinentium *explicationem* exoptat. Quare cum & talia in *aphorismis* partim sim pertractaturus, generaliora hic ac praecipua, quibus absolvatur momenti, probe perlustrabo.

§. 6. Ad meam propius accedens, duo illa, quae alias ad veram constituendam *definitionem* desiderantur, ex adducta etiam ceu genuina eruere conabor, *genus* & *differentiam specificam*, sive *conceptum* rei *contrahibilem* & *contrahentem*: *Conceptus* eqvidem *communis* a *Stagi ita* explicite additus non fuit, attamen facile & pronum ejusdem est supplementum, adjectis particulis: *Virtus moralis*, hunc in modum: *Magnificentia est virtus moralis, medium servans circa pecunias (opes) magnas, & circa actiones in opibus (divitiis) sumptuosas.* In iisdem & similibus verbis plenaria magnidecentiae requisita residere putamus.

§. 7. Disceptatum iam pridem est inter autores, *iurene possit magnif. virtutum choro associari, nec ne?* cum opes nimis magnas pro objecto habeat: Verum, quis hanc ob rationem in adversam eat sententiam, modum præsertim erogandi, *μεσότης*, i.e. *mediocritatem* si habeas cognitam: Contrarium enim asserens *non-causam ut causam* introducit; qui in simul, sumtus magnos in culpa esse, quo minus *magnif.* dicatur virtus, defendit, ingenuorum se ludibrio exponit. Et posito, circa infinitos & permagnos sumtus versari, nullibi tamen eandem medium ceu filum virtutum Ariadnes negligere tuemur. In magnis enim personis, quibus omnia undiq; adsunt copiose, magnos impendere sumtus *mediocritas* est, ut facunde iudicat *Stratemannus Inst. Eccl. lib. 4. c. 4. pag. 369.* Addimus firmiora: *Magnificentiam* vere *virtutem*, sigillatim *moralem* dici, exinde patet, quod *magnif.* non secus, ac alix virtutes *morales* *habitus* sit, non affectus, non potentia, aut mera dispositio, aut naturalis quædam inclinatio, perfectio potius vel habitus quidam, non infusus, sed adquisitus studio, præeunte sedula deliberatione, consultatione ac delectu, quæ in virtute requireres necessario. Deinde *magnificentia* ex habitu & studio adquisito proæretico agit. Non enim *in habitu* mere *potentia*, sed *in actione* recte vivendi *virtus* consistit: Vid. *Alsted. Phil. digne restit. pag. 358.* Alioquin & avari, qui opulentissimi ac ditissimi, quos nec fugiunt desiderata *magnificentia*, *magnifici* dicendi forent. Solus igitur virtutis actus proæreticus, magna cum animi deliberatione connexus virtuosum constituit. Lubuit Philosophis, porro *morales* dispendere *virtutes* in *perfectas* & *imperfectas*; non *imperfectis*, sed *perfectis* accenseo. Quid vero in claro testimoniorum numero ulterioribus opus verbis? Consultantur e superfluo *Philosophia Civilis DD.* de quæsito nostro agentes.

§. 8. Pergo in explanando *conceptu quidditativo*, *differentia* sc. *essentia*; quæ ab *Aristotele* indicatur per vocolas: *μεσότης περί χρήματα μεγάλα* &c. quibus manifesto discrimen a reliquis virtutibus & imprimis a liberalitate suppeditatur, uti *aphor. 2.* docui. Unde hæc *differentia specificã* deprompta fuerit, succedens §. 9. evincet.

§. 9. *Materiam circa quam, seu Subjectum occupationis* opera  
 con..



condigna, *θαυμάσια*, admiranda, splendida, largiora, ut *Philosophi* testantur, imo *χρήματα μεγάλα* esse, quis quæso non animadvertit? Nullum siquidem novi appellari magnificentum, nisi egregiis magnisq; sumptibus astris nomen non modo inferat, sed & immortalitati consecret; plura videsis *disp. hujus Aph. I. Forma* est modus erogationis congruus, ut concinne *Ryberus* in *Syn. Phil. pag. 673.* Imo *μεσότης* *περὶ τὰ χρήματα μεγάλα*, *Doctorum moralium Patre* attestante. Magnificus expendit cum voluptate animi, jucunde, promte & large suos sumptus, ne contra formam peccet. *Causam efficiens* ipsum esse magnificentum probatione non indiget; loquitur de rei veritate experientia, loquitur recta ratio, loquuntur *Sapientes.* *Finis* magnificentiæ *primarius & ultimus*, aliarum virtutum ad instar, alius esse nequit, quam *DEI solius gloria*; suscipit virtuosas actiones virtuosas, ut Deo debitum præstet cultum & honorem; *Secundarius* *salus, & ornamentum Reipublicæ; intermedius* perpetua nominis, non moritura fama. Quem quivis finem merito respicit & intendit, quid? quod hoc de acquirendo fine sollicitus admodum laboret. Nobis de fine *ordinario & proprio* esse sermonem, in propatulo positum, non inficiantibus, finem ratione subjecti multiplici se dirimere modo, quæ a scopo & tractatione exulant.

### APHOR. I.

*Ut cuiusvis ἡθικῶ, sic ἔστι hic τὸ πρέπον observaturo non pauca tenenda erunt.*

§. 1.

Singulis virtuosis convenit, ut habitum sibi virtutum comparaturi præter indefessam illarum meditationem proprias experiscantur naturas, easq; non mediocriter sibi cognitatas reddant: Habentur ab unoquoque pro norma & cynosura necessaria requisita, quæ si observentur, in devia secedet nullus, nec extra oleas vagabitur. Sic & magnificentiæ, magnis etenim magna atq; circumspecta decent, suæ non deerunt regulæ, quibus perspectis cultor neq; in excessu, neq; defectu exorbitabit. Potissimum vero duo a Philosophis emunctioris naris ponderanda, alterum *Subiectum*, magnificentus, a parte sui se suasq; facultates, antequam magnifici-

titu-

titulum affectet, considerans; alterum *objectum*, sive *res*, quibus sumtus impendendi.

§. 2. *Subjectum* proxime subsecuturo *aphor.* distincte contemplaturus, sicco pede nunc transeo; *objectum* tanto penitius introspiciens. Hujus cum varietatem nemo abnuat, de ista in specie agendum. Brevibus: Generatim loquendo confirmo, alium *magnificum* & *res* & *commoda* spectare *publica*, alium *privata*. *Res publicas* in contradistinctione ad *res privatas* acceptas cupio, nec inepte dividuntur in eas, quæ immediate cultum attendunt Dei, vel in eas, proprie sic dictæ *reipubl.* salutem respicientes. In *Dei gloriam* propriissime sumtus inferuntur: V. C. in *templa*, *altaria*, *ministros verbi Divini* ac *presbyteros*, in *Academias*, *Gymnasia*, *Lycea* & id genus alia: In *res publicas*, qui *urbes augustas*, *civitates satis amplas* & *longas erigit*, *moenibus easdem cingit*, *exstruit turres*, *valla*, demum omnia, quæ ad *status publici* *florem* & *incrementum* pertinere æstimat, sibiq; splendorem addere queunt. In *res privatas* munificus censendus, qui vel *ædibus*, *facultatibus*, imo *aliis* aliorum rebus ac bonis sua munificentia succurrit, iisque *magnificum* se præbet, quos sua munificentia existimat dignos; se itidem *suaq;* fulgore haud vulgari exornans, adeo, ut singulari splendore quælibet in *ædibus propriis* statuq; *domestico* fiant, nec quidquam sumtuum denegat, quod ad expoliendum *statum civilem* conducit. A *magnifico* interea benignitatem recipientes statuimus esse varios: (a) Quosdam *religio sanguinis* nobis conjunxit; (b) aliqui *prorsus alieni*, iiq; vel *de republica optime* vel *minus meriti*; (c) quidam *magistratus*, quidam *subditi*; (d) alii *pauperes*, alii *divites* &c. Quorum non tam *dignitas*, quam *ratio*, cur sumtus impendantur, non *privata cause* & *respectus*, sed *merita* & *indigentia* contemplanda veniunt.

§. 3. In tanto igitur annotandorum campo, quod dextra quodq; læva accipiendum? quam alteri observationem præferes? cuius personæ æquiori jure beneficia adscribuntur? Ast elucescit verum, dum *de medio*, cujus opæ ea felicitus *Altissimi Dei gloria*, *proximi salus*, *suiq;* *honor* promoveri potest, cauti cogitamus. Sic, nonne major enascitur, suboriturq; fama templum exstruenti *magnificum* & *splendidum*, quam aliud aliquod *ædificium*? nonne diutius perenabit memoria illustrium factorum, si civitatem *moenibus*, *turribus*, *privilegiis* &c. ornata post fata reliquerit mortalibus, quam si pri-

privato domum exstruxerit? nonne *Scholas & Universitates* fundans, *stipendia* constituens & s.p. Dei promovet cultum? En itaque magnificentiae fructus praestantissimos, de quibus Nonnemo: *Magnificentia aluntur Ecclesia, civitates & politia constituuntur & multa benevolentia conciliatur.*

§ 4. Patefcit e dictis non obscure, *magnificum* primario Numini *Sandtissimi* gloriam intendere. Ita vere magnificus, *templa erigens & reparans, redditus presbyteris ordinans sufficientes; quonimine in sacris praedicantur Rex Israelitarum, Salomo, templum DEO aperiens magnificentissimum; Cyrus, Israelitis dispersis templum non solum, sed omnia vasa restituens. Vere magnificus, studia lingvarum, artiumq; liber alium in finis propemodum impensis promovens, exemplo Friderici III. Potentissimi Borussorum Regis & Electoris Brandenburgici laudabili, Academiam Fridericianam 1694. inaugurantis; exemplo Friderici B. Holsatorum quondam Ducis glorioso, Kiloniam 1701. amplissimis redditibus augentis; exemplo devote colendo gloriosissimae memoriae Principum Electorum Saxoniae, Friderici Sapientis, quem Fundatorem Alma Leucorea veneratur; exemplo illustri Mauricii, tres Scholas illustres circa annum 1543. instituentis; exemplo insigni Augusti, nostram Academiam egregie dotantis; exemplo denique Successorum pietissimorum dignissimo, qui Wittenbergensem, & alias clementi dignantur recipere patrocinio. Quibus cunctis quid splendidius? Quid laudabilius praestari potuisset? Vigescit fama in aeternum, virescit memoria in seram posteritatem, celebratur DEUS in perpetuum. Vere magnificus, qui Bibliothecarum fundamenta jaciens peregregiis ad conservationem dotibus dotat. Vere tandem magnificus, condens liberrime *prochodochia, nosocomia &c.* DEI in honorem unice vergentia, quae & Judex olim Pantocriticus in novissimis diebus encomiis exornabit, *Matth. 25.**

§ 5. Publicam deinceps privata praefereudo salutem, regionem, urbes, castella &c. munit, constituit. Propterea extollendus Alexander, in Aegypto splendidissimae Alexandriae limites disponens: Constantinus, ad Pontum Euxinum Byzantium aedificans, ac Constantinopolis nomine insigniens: Augustus Caesar, qui cum multa ex

B

parte

parte Romam auxisset, non absque causa gloriabatur: *Romam Lateritiam accepi, marmoream relinquo.* Plura non adjicimus.

¶ 6. Quod si tandem *magnifico* visum fuerit, & munificentiam suam *erga privatos* exercere, prudentem instituat delectum, ut primario rebus benignitatem promerentibus sumtus conferat, ut ne magnificentia luxui appareat analoga, ad modum *Neronis*, quem nunquam carpentis minus mille iterfecisse tradunt, *soleis mularum argenteis.* Magnificus ergo de republica meritos vi traditi requisiti & remunerat, & premiis largioribus afficit; minus vero meritos iis postponit; quandoque fortuna exutos secundæ fortunæ *alumnis* præfert. Summis hinc elogiis mactandus *Alexander Magn.* qui per totam *Græciam, Asiamque* nimia annonæ caritate multa millia hominum sustentasse fertur: Idem, recensente *Plinio*, *Aristoteli* historiam animantium scripturo suam locavit curam, offerens illi mille quadringentorum octoginta talentorum. Transimus ad

## APHOR. II

*Non cujusvis sortis homines, nec quovis de beneficio magnifici ardiunt.*

§. I.

**D**igna, quæ per transfennam a nobis aspiciatur controversia, excitata inter non infimorum subfelliorum σοφῶς. Exiterunt, qui *liberalitatem cum magnificentia* perperam confundere, ac pro *Synonymis* venditare conati fuerunt. Horum e numero *Clementem Timplerum* lib. 3. *Ecb. Gen. cap. 9. quest. 24. p. 373.* allegamus, sublequenti parantem patrocinium argumento:

*Si magnificentie eadem competit definitio, ac liberalitati, sequitur quod non differant specie: Sed verum est prius E.*

*Resp. Min. neg: Iple Piccolomineus univ. Phil. de mor. pag. 325. quamvis ejusdem sententiæ inierit consortium, refragatur: Neque exemplo Timpleri, sed legibus, sed rei ἀληθείᾳ judicandam. Definit Noster magnificentiam per liberalitatem & munificentiam in sumptibus magnis publice faciendis modum observantem p. 292. lib. 3. l. d.*

CU-

cujus, ni genere describendo in ad versam abiisset sententiam, lu-  
bentes staremus a partibus.

§. 2. Colludit cum eo *Piccolomineus*, tale ne censeat ratiocinium:  
*Quæc. Virtutes conveniunt genere, objecto & fine, illæ specie non di-*  
*stinguuntur: Atqui magnificentia & liberalitas: E.*

*Maj.* sua radiare perhibet luce, quoniam ab *objecto*, genere & fine,  
præcipue ab *Objecto* virtutis definiatur natura: *Minorem* dubiam  
non esse quoad *genus & finem* autumant, quoad *objectum*, cum  
quævis harum virtutum versetur *circa opes ac pecunias*. Resp. ad  
*Maj.* limitando: *Quæc. vere, non apparenter conveniunt genere, obje-*  
*cto & fine, illæ &c.* Sic negamus *Minorem*: Convenientiam plena-  
riam *objecti* in dubium vocantes, distinguimus inter *subjectum*  
*occupationis materiale, & formale*: In *materiali* consentimus, in *for-*  
*mali* plane discedimus. De facili quoque concedere possumus,  
utramque laudatarum virtutum eodem gaudere *objecto* ge-  
neraliori, pecunia nempe, negari tamen nequit & vel obolo li-  
beralem dari, nequaquam *magnificum*. Versatur *magnificentia* circa  
sumtus in largiendo & erogando: *Liberalitas* tam erogando, quam  
accipiendo; dat *magnificus*, sed magna, exstruit, sed insignia,  
& præter gloriam Dei, rei publicæ incrementum, nominis famam pro  
fine agnoscit: Sic *μεγαλοπρεπεια* sine differre a liberalitate in a-  
prico est, cum *magnificus*, persona illustri sumtus faciat, eo fine, ut  
factorum ac benignitatis memoria ad posteros derivetur, libera-  
lis vero, persona sæpe obscura non tam honoris, quam beneficien-  
di & amoris causa. Meretur locum *Gisberti ab Isendoorn* decisio:  
Non tantum gradualis, sed & specifica inter has occurrit differentia: *Ethi-*  
*ca Perip. lib. 2. cap. 12. pag. 321.*

§. 3. Affero in contrarium pro stabilienda thesi alia momenta:  
(α) *Quæc. differunt subjecto, ea inter se differunt: Atqui liberalitas &*  
*magnificentia E. Maj.* sanioribus Philosophis arridet, & per se con-  
nectit: *Minorem* probò, quod liberalitatem quis exercere po-  
tis sit, siue autoritatem, siue minus, siue opes, siue parum posside-  
at, unde *pauperem Viduam omnium liberalissimam* Salvator edisserit:  
*Luc. 21. 4.* *Magnificus* neque plebejus, neque inferioris sit condi-  
tionis. (β) *Quæc. differunt objecto tam remoto, quam proximo, e a omnino*  
diffe-

*differunt: Sed magnif. & liberalitas E. Major cujusvis ferit oculos; Minoris probationem præmisimus: Insuper liberalitas circa modicos & mediocres sumtus occupata, magnificentie objectum magna opera & sumtus pretiosi, δαπανῶν παύσις. (γ) Quæc. differunt sine, vere differunt: Sed hæc virtutes E. (δ) Quæ virtutes in executione differunt & exercitio, eæ specificè differunt: De liberalitate & magnif. probatur prius E. Agit publice magnificus, & in publica præsertim sumtus confert: Liberalis privatim agit, neque adeo publicam promoverè quærit salutem.*

§. 4. Quoad aphorismum præsentem sciendum, suis istum de novo circumscribi limitibus & cancellis: Maxime vero duo, prout in præcedenti factum, describi putamus; *Principium nimirum magnificentie genuinum agendi*, ubi non cujusvis fortis homines magnifici titulo denotandi, alterum *Objectum*, nec propter beneficium vel donum quodvis. Consistit ut plurimum in eo magnificentia, dum magni, dum præclari, eximiique sumtus in res & magnas & publicas, majore cum splendore & pompa impenduntur.

§. 5. *Remotive* svademus, *adequatam magnificentie subjectum*, (nominabam9 antecedenti §. *agendi principium genuinum*,) quemvis haud esse liberalem; prolixam satis & firmam intercedere differentiam inter magnificentiam & liberalitatem, modo demonstravimus. Nunc attributa spectantes, asserimus: (α) *Ad magnificum non sufficere puerum, impuberem ac minorennem: Quod si iidem magnorum viciarum non sunt capaces; vid. Dn. L. Buddeus in Elem. Phil. Pract. parte 1. cap. 2. p. 71. §. 157.* multo minus virtutes in eosdem cadent; nedum *magnificentia*, quam *undecim primariis*, e quibus reliquæ ortum trahunt, accenset *Aristoteles*; modum enim regulasque dandi cum non habeant cognitatas, neque habitus virtutis jure iisdem tribuitur: Ceterum impuberes, minorennisque sub *tutorum*, ut *clientes*, degunt potestate, nihilq; ipsis quoad *χρῆσις* relinquatur proprii, quomodo igitur magnifica præstabunt, aut magnifici appellandi? (β) Neque *furiosos*, menteque captos, qui cum rationis usu destituantur, merito prioribus annumerantur: Quævis etiam virtutum ἐκ προαρχῆσεως fiat necessum est, menteq; *libe-*

liberata, quare absque plenario rationis usu consulto agere nequeunt: Neque ( $\gamma$ ) *Obscura oriundos progenie*, siquidem ad magnificentiae actum personam praesupponimus eminentem, quo aliquid splendoris operi superaddat: ( $\delta$ ) Neque *divites tantum, vel rusticos, vel cives vel mercatores &c* licet ejusmodi maximos faciant sumtus, magnificorum titulis indigni, sed prodigi salutandi. Neque solum *magni sumtus ad magnificum* constituendum praerequiruntur, sed & *persona dignitas & eminentia sumtibus* respondeat. Sint *personae praeter ceteris eminentes*, ac vel *e domo illustri prognatae, vel virtute, dignitate & autoritate celebres*, ita, ut status & conditio, ceu monitum, operibus non inanem concilient splendorem. Minime tamen evictum volumus, ac si *pauperi* plane adversetur  $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\omicron\pi\rho\acute{\epsilon}\pi\epsilon\sigma\alpha$ . cum non absolute, sed secundum quid & per accidens ipsi magnifici repugnet nomen. Is vere, ut potiora repetam, magnificus, qui ratione ortus & familiae illustris, vel ob principem & praeclearum statum in summum dignitatis gradum constitutus, divitiis undique honeste, rite, proprioque Marte partis non modo abundat, sed & in actum secundum transfert. Magnificentia culmen liberalitatis est, haec sola praeclearissimum hominum statum & conditionem quarit, cum solum splendide natis & fortuna bono opulentissime diuitis conveniat: Hæc Piccolomineus Univ. Phil. de mor. gradu 4. c. 49. p. 371.

§. 6. Quamvis Objectum aliquoties expresserim, redeo tamen ad ampliorem ejus evolutionem, dicendo, idem non esse sumtus (1) mediocres aut exiguos, secus virtutes distinctas, liberalitatem & magnificentiam confunderem, qualem sententiam ceu infirmam rejeci; nec (2) opes magnas inhoneste paratas: Perpendas mecum L. B. generale quarumvis virtutum objectum, perpendas finem, perpendas principia & axiomata, praecipitur sane, ut omnia honeste fiant & virtuose: Exigunt Ethici probam, justam, legibusque sancitam vivendi rationem, prohibent proximi laesionem & damnum, mandant demum serio, suum esse cuique tribuendum, non inique auferendum. Jam admissa hac hypothese nec ille magnificus audit, qui facultates aliorum & substantiam illegitime ad se trahit: Accedit, tametsi eas opes vel ad sacra, vel profana, vel ad publica, vel privata adhibeat, quod mala non sint facienda, ut bona exinde eveniant; nec (3) sumtus, profusos in res exiguas & viles:

Ita ad virtutis culmen adscendere annitens, horrendo se luxuriz ac abominando prodigalitate crimine obstringit, neq; virtuosi titulum adipiscitur. Quo nomine *Cesaris Caligula* detestor prodigalitate, qui in histriones, gladiatores, equos, & id genus alia non elabente anno ineffabilem thesaurum impendit: Sed *opes* (α) *magnas*; (β) *honestis congestas mediis*; (γ) *rebus impensas dignis*; (δ) *legitime adhibitas.*

APHOR. III.

*Adeoq; magnificentia circa sumtus fere infinitos versatur, medium eandem tamen negligere nemo sibi persuadeat.*

§. 1. Excusis, quæ primum occupabant locum, essentialibus virtutibus, manet, ut de extra essentialibus ac istis, quæ & reliquis virtutibus cum nostra communia sunt, quædam communicem. De medio nempe, quod in magnificentia juxta unanime suffragium Philosophorum utramq; facit paginam.

§. 2. Non minimam thesæos inde peto confirmationem, quod omnium virtutum formale in medio consistat, cum in excessu aut defectu peccans, nihil minus quam virtuosus vocitetur. Ab universali ad particulare sic argumentor: *Quidquid in singulis opibus expendendum virtutibus, id & magnificentia sibi sumit: Atqui medium est. Maj. clara: Minorem e Philosophi consensu probo.* Interim per medium innuo, quando magnificus in erogandis magnis sumtibus nec excedit, nec deficit, h. e. ne justo majores faciendo sumtus exorbitet, ut ad incitas redactus de inopia eum conqueri oporteat, vel, si minores impendat, ne liberalis quidem existimetur. Quapropter medio tutissimus ibis.

§. 3. Accedit nova magnifico causa servandi mediæ ratio status, quæ semper respiciatur, ne nimis profuse impertiendo, ipse tandem aliorum exposcat subsidium. Uti fluvius in multos diductus rivulos ad ultimum deficit, ita nec mirum, magnificus ubi præter spem, supra vires & sapius exhausit facultates, nihil ipsi superlit: Quo neq; sua custodiente quid sit turpius quis ignorat? Non equidem diffiteor, magnas imò splendidas magnificentiam pro objecto venerari facultates, quæ difficulter admodum profunduntur; ast, quem & profundissimum penitus evacuari latet fontem? Approbamus propterea *Ciceronis* effatum: *Bemgnitas non sit major facultate*: Imo piam *Apostoli* adhortationem: *Ὁ υχλινα ἀλλοις ἀνεστis, ἢ μὴν δε θλίψις*, 2. Cor. 8, 13. *Prodigalitas* certe dicta turpis est ac peri-



periculosa; conjectu istud facillimum, dilapidatis bonis aliorum  
 inhiari fortunis. Neq; video, quid sibi boni promittat aliquis e vi-  
 tio: *Luxuria*, confitente *S. Bernardo Theol. Mor. L. X. cap. 2. p. 780. omni*  
*immunditie & turpitudini carnis preest.* Manibus terenti Historico-  
 rum monumenta, non deerunt immoderatos horum mores secu-  
 ti. Suppeditaret copiosum loquendi argumentum *Lælius Bisciola*  
*Horar. subseciv. tom. 2. lib. 1. cap. 21. p. 68. 69. seqq.* nisi pretiosus pariter  
 ac irridendus *Neronis* luxus, qui *viatoria unioribus habebat constructa*  
*cubicula (cubilia)*, primo occurreret intuitu. Cui ad sociare lubet  
 haud sine fundamento *Romanum illum servum fervorum* suis cum  
 affectis, qui ut eo magnificentiores videantur, neq; de propriis  
 tamen hanc exercent virtutem bonis, vanas missarum indulgen-  
 tiarumq; mundinas instituunt, remissionem peccatorum, cœlum  
 & beatitudinem pro perituro ære venum exponentes, de quibus  
*Posta:*

.. .. . *Sunt venalia nobis*  
*T. mpla, sacerdotes, altaria sacra, corona,*  
*Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;*

§. 4. Restat adhuc unum mediū tenendū incitamentum, *constans*  
*prodigalitatē fugā.* Namq;, qvoniā *magnificus objectum* colit *χρη-*  
*ματα μεγἀλα*, facili contingere potest negotio, ut a virtutis tra-  
 mite prolatur. Nata inde erronea quorundam opinio, qui in-  
 signe *magnificentiā objectum* intelligentes, *mediū eandem* attendere  
 negarunt, commodam *Stratēmanni* floccipendentes distinctionem  
*Lib. 4. c. 4. p. 341. inter mediū objecti, & mediū virtutis: Objecti mediū*  
*pronicū dissentientibus inficiamur, virtutis cum accuratioribus*  
*masculis defendentes Philosophis.* Neq; hac assertione *objectum*  
 ubiq; ex æquo magnum pronunciamus, majores etenim decent  
 sumtus *Imperatorem, ac Electorem, Electorem ac Principem &c.* Rebus  
 sic stantibus caute, cœu non semel indicavi, *magnificus* ager, ne  
 in excessu exorbitando damnandum prodigi, in defectu exosum sordidi  
 nomen sortiatur. *APHOR. IV.*

*Sumtus & statim ac cum voluptate largienti.*  
 §. 1. Postremo modum, eumq; non contemnendum seduli in-  
 vestigamus. In vulgus notum de liberali *πολυδουλιαν:*  
*Bis dat, qui cito dat, mi dat, qui munera tardat.*

Idem

24  
114  
1165

Idem de magnificencia nimis dilata fandum. Sic magnificum non appellare audeo, qui infinitis defatigatus precibus beneficia confert: Urgeo pro immota basi, dum omnes in universum virtutes in liberrima consistunt voluntate, hoc autem pacto quasi coactus existat magnificus ac virtuosus, quod absolum. Audiamus Augustinum pie differentem: Nemo invitus benefacit, etiamsi bonum sit, quod facit. Commendandus hoc ex capite Cimon Atheniensis, cujus Nepos in vita Cimonis mentionem inserit, semper pedisequos eum nummis fuisse secutos, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare, &c. Et alterum asterisco notandum requisitum, quod idem magnifici, cum voluptate, animiq; quadam hilaritate, omni remota morositatis ac molestia specie sumtus erogare debeant, non ignari, hilarem datorem Deum diligere: Blanda quoniam imo vultus serenitate homines plerumq; magis, quam beneficiis capiuntur. Alexander M. dispensatorem jusserat dare Anaxarcho Philosopho, quod postularet; hic, cum centum talenta nunciaret petere, recte, inquit, facit, cum intelligat, se habere amicum, qui tantum dare & possit & velit. De cetero rationi convenientissimum nostrum adsertum, tristi apparentem facie magnificum, ac magnificentiam deplorantem, magnifici plane titulo esse imparem.

§. 2. Quae deesse videntur, sequentes supplebunt Autores: Academ. Gall. per Pierre de la Primaudaise, & de la Barree, die XI. cap. 41. Jac. Thomaf. in Phil. Pract. tab. XVIII. Henr. Velsten. in Exerc. Eth. IX. it. Centur. quest. Eth. Dec. VII. Andr. Heerebord in Exerc. Eth. XLVI. it. in Coll. Eth. Disp. XXIII. Nic. Hunnius Disp. Eth. VII. Sigism. Evenius Disp. Eth. VIII. Tob. Tilemanus in Exerc. Phil. XXXIX. Thom. Sagitt. Exerc. Eth. Exot. XIII. thes. 5. Jo. Weissius in Comp. Eth. Disp. VIII. Henr. Kipping in Inst. Eth. cap. VII. lib. I. Henr. Nicolai Exerc. VI. Miscell. Decad. III. pag. 201. Arniseus lib. II. Polit. cap. V. Lamb. Danaeus in Eth. Christ. lib. III. c. V. p. 330. 332. Joh. Piker. in Aretol. Christ. cap. III. quest. V. p. 99. Jo. Casus in spec. quest. Mor. lib. IV. cap. II. Mich. Wendler in Pract. Phil. c. X. Christ. Foerstin. in Not. Polit. ad Tac. p. 495. Giphanius in Comment. in Arist. a pag. 276. Sam. Heiland. in Comment. in Arist. lib. IV. cap. II. Celeberr. Omeis in Comp. Eth. a pag. 149. Christ. Liebenth. in Coll. Eth. Exerc. IX. a §. 29. Theoph. Gol., Fr. Burgersdic., Donalds. lib. III. c. IV. Ant. Icter. & innumeri alii. Cetera ad conflictum reservamus.



ULB Halle  
004 857 984

3



